



De Concursu & Cumulatione actionum Conclusiones:

<https://hdl.handle.net/1874/428360>

16 9
**De Concurſu & Cumula-
tione actionum Conclusiones:**

Q V A S

Adiutore Deo Trino & Vno:

P R A E S I D E

C L A R I S S I M O

C O N S V L T I S S I M O Q V E V I R O,

D. MATTHÆO ENTZLINO, I. V. DOCTORE
celeberrimo, ac LL. in iuncta Tubingensium Academia, Pro-
fessore ordinario, Domino ac Preceptoris suo officiosè ho-
norando, pro ingenij viribus, ad 9. diem De-
cembris, publicè tutari ac defende-
re conabitur

M. IOHANNES LVDOVICVS
König Tubingensis.



T V B I N G AE,
Apud Georgium Gruppenbachium.

M. D. LXXXVI.

M A G N I F I C O A C
A M P L I S S I M O V I R O D . I O H A N N I
Schultero, I. V. D. praeclarissimo, & Illusterrissimi Principis
VVirtembergiaci Cancellario dignissimo, Domi-
no mecenati ac affini suo obser-
uanter colendo.

D . 1Vares sunt, Magnifice ac amplissimē vir, quibus ius nostrum potissimum colitur: Legum diligens cognitio: & earundem dextra ad vsum accommodatio, quarum hac in praxis, illa in theoria consistit studio ac industria. Ut autem vtraque sua fulget ac praestat dignitate, amba tamen coniuncte nihil non praeclari efficere solent: ita omnino necessum est, vt qua in Iureconsultorum Scholis traduntur, apte ac utiliter in forum deducantur. Hinc præcepta absque vsum patrum proficere dicuntur: Neque enim medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta percepint, quicquam magna laude dignum sine vsum & exercitatione consequi possunt: Sic quoque Iuris obseruandi præcepta traduntur quidem, vt cognoscatur id ipsum: sed rei magnitudo summaque necessitas vsum quoque in primis desiderat: vt Iuris ac Legum ex certis præceptioribus gnari, in foro etiam vel addendo vel deducendo, quantumcunque debeat rite intelligamus. Evidem cum iam per aliquot annos in Iurisperitorum atque doctorum Scholis verfatus sim: & industria ac fidelitate præceptorum meorum, omni obseruantia cultu honorandorum, Legum præcepta, Iurisque fundamenta, qua potui diligenter degustarim ac percepitem: tandem etiam propius ad præceos studium accedendum, studiorumque meorum publicum aliquod specimen edendum putavi. Itaque non ita pridem ab amplissimo Iuridica facultatis nostra Collegio, disputandi copia imperata ac concessa, materiam hanc de concursu & cumulatione actionum, certis quibusdam conclusionibus comprehensam, discutiendam publicè proponere libuit. Hunc autem qualemcunque meum conatum A. T. Dignitati in primis commendare, & hasce presentes Theses A. T. Dignitati ideo potissimum dedicare & inscribere volui: quod A. T. Dignitatem, vtpote Diua Iustitia inissimam administraticem, hoc Iuris studium summo studio amoreque prosequi scirem. Atque etiam, si quid est, quod ego in hoc discipline genere profecerim (quod quidem per exiguum esse iudico) eius A. T. Dignitatem & authorem & confirmatorem & paternum fidelissimumque admonitionem semper mihi exitisse, fateor. Accedit eò, quod A. T. Dignitas sua benevolentia ac singulari fauore parentes meos totamque nostram familiam ita amplectatur, vt me quoque sub eodem A. T. Dignitati fauore comprehensum esse, plurimis argumentis haecenus cognoverim. Ideoque eo confidentius A. T. Dignitati has meas primitias pro qualicunque animi mei gratissimi significatione mitto: eoque officiosius A. T. Dignitati me commendatum amplius commendandum, omnem debitam gratitudinis promptitudinem submissè offero. Vale.

A. T. D.

Studioſiſimus

M. Ioh. Ludovicus König.

DE CONCVRSV ET *Cumulatione actionum.*



VM de actionum concursu tractatio
in ardua & confragosa disquisitione
versetur: itemque de plurium actionum
cumulatione frequentes admoni-
dum in foro disputationes agitari so-
leant: proinde de vtroque Conclu-
siones sparsim traditas in praesentiarum excutiendas
proponere libuit.

DE CONCVRSV ACTIONVM.

Conclusio 1.

DT initio: Si plures rei persecutoriae actiones de eadem re mea concurrant, vna ali-
am tollit. Nam condictio furtiva absorbet
commodati, itemque locati actionem: ut
& rei vindicatio hypothecariam & perso-
nalem ex Testamento actionem.

2.

Idem iuris est: si plures rei persecutoriae ex vna cau-
sa, de eadem re mihi debita concurrant, & omnes eius-
dem sint quantitatis: nam si vna sit lenior, altera gra-
uior, & prius leniori egeris, superest grauior in id, quod
amplius est in ea.

3.

Si igitur prædia mihi vendideris: & conuenerit, vt
aliquid facerem: & si non fecissem, poenam promise-

A 2

rim:

rim: antequam poenam ex stipulatu petas, ex vendito
agere potes: si consequutus fueris, quantum poenæ
nomine stipulatus es: te agentem ex stipulatu, doli
mali exceptio submovebit: si verò ex stipulatu poe-
nam consequutus fueris, ipso iure ex vendito agere
non poteris: nisi in id, quod pluris tua interfuit, id
fieri.

4.

Si quoque à socio poenam quis stipulatus sit, eamq;
actione ex stipulatu consequutus fuerit: postea pro so-
cio agendo hoc minus accipiet: poena ei in sortem
imputata.

5.

Si item fuerit actum communis diuidundo, non tol-
litur actio pro socio: quia pro socio & nominum ra-
tionem habet, & adjudicationem non admittit. Sed
si postea pro socio agatur, hoc minus ex ea actio-
ne consequitur, quam ex prima actione consequu-
tus est.

6.

Quod si autem rei persecutoriae actiones de ca-
dem re ex diuersis causis mihi debita concurrant: vna
alteram non consumit. Nam si quis velit ex alia causa
Tributoria agere, & ex alia causa de peculio, audi-
dus erit.

7.

Similiter si is, qui Stichum dari stipulatus fuerit, he-
res extiterit ei, cui ex Testamento idem Stichus debe-
batur: si ex Testamento Stichum perierit, non consu-
met stipulationem. Et contrà: si ex stipulatu Stichum
perierit, actionem ex Testamento saluam habebit:
quia initio ita constiterunt hæc duæ obligationes, ut al-
tera

teria in iudicium deducta , altera nihilominus integrâ
maneat.

8.

Ad eundem modum, si is, qui venditorem obligatum habebat, ei, qui eundem venditorem obligatum habebat, hæres extiterit, duæ actiones in eiusdem persona concurrunt: propria & hæreditaria. Et debet hæres institutus, si velit, separatim duarum actionū commodo vti : & ante aditam hæreditatem , proprium venditorem conuenire: deinde, adita hæreditate, hæreditarium . Quod si prius adierit hæreditatem, vnam quidem mouere actionem potest, sed ita, vt per eam utriusque contractus sentiat commodum.

9.

Porrò pœnales actiones de eadem re ex pluribus factis concurrentes , alia aliam non consumit. Vt , si quis eundem hominem surripuerit & occiderit: actio furti, actionem damni iniuria non perimit. Velsi quis eandem rem surripuerit, modò manifestò , modò nec manifestò: actio furti manifesti, non consumit actionem furti nec manifesti.

10.

Quod si verò ex uno facto plures descendunt actiones pœnales: veluti, si quid Publicanus abstulerit, tenetur ex edicto de publicanis in duplum , & actione furti: Item, si quis rem rapuerit, tenetur & furti, & vi bonorum raptorum actione: Item, si quis seruum injuriosè verbaveruit, incidit in Aquiliam & iniuriarum actionem : omnibus agi posse post magnas varicataes obtinuit.

11.

Verum, si prius leniori egeris, in id tantum, quod in

A 3

altera,

altera, grauiori scilicet, nondum mota amplius est, ea experiri integrum est: si verò grauiori priùs egeris, altera lenior consumitur.

12.

Cæterūm, si actio merè pñalis cum rei persequitoria concurrat: veluti, si actio furti concurrat cum condicione furtiuā, vel actione pro socio: altera alteram non tollit.

13.

Quod si autem pñalis actio mixta, quæ arbitaria est, concurrat cum rei persequitoria, tunc per illam hæc omnino tollitur, & contrà. Sic per in rem actionem restitutoriam, vel de dolo, tollitur actio quod metus causa: & per actionem tutelæ, vel condicione furtiuam, tollitur actio rationibus distrahendis.

14.

Sin autem concurrat actio pñalis mixta, quæ arbitaria non est, cum actione rei persequitoria, per hanc illa non tollitur omnimodo: in id namque superest, quod amplius in ea est. Sic per condicione furtiuam, non tollitur omnino vi bonorum raptorum, vel L. Aquiliæ actio: sed hæ actiones in id supersunt, quod amplius in ijs est.

DE CVMULATIONE actionum.

15.

CVmulationem actionum Iure Ciuiili comprobata
tam esse, certum est.

16. Estque

16.

Estque permissa, si & res & causæ petendi, & actiones sint diuersæ: & simul subsistere & tractari posse sint.

17.

Vnde actio ex vendito in decem, & certi condicione ex mutuo in viginti, rectè in eodem libello copulantur.

18.

Possessorum quoque & petitorum rectè connecti possunt: siue agatur de adipiscenda, siue recuperanda possessione. Quin imò & interdictum retinendæ possessionis cum petitorio coniunctionem quandoque admittere putamus.

19.

Similiter & actio iniuriarum & L. Aquiliæ actio rectè cumulantur.

20.

Connecti quoque possunt restitutio in integrum & rei vindicatio.

21.

Quod si autem huius generis actiones simul subsistere & tractari nequeunt: veluti, si absolución in una actione absorbabit & tollet alteram actionem: Cumulatio fieri nequit. Nam, si fundum Titianum à te petam, eumque meum esse intendam; & præterea petam viam ad eūdem fundum, per fundum tuum Sempronianum, obijci mihi, quoad viæ petitionem, exceptio potest. Non aliter enim viam mihi deberi probaturus sum, quām priùs probauerim, fundum Titianum meum esse.

22. Sed

22.

Sed et si fundi, quem tu proprium tuum esse dicis, partem abs te petam, & velim simul quoque communii diuidundo agere sub eodem Iudice: Item, si eius fundi, quem tu possides, & ego ut proprium meum abs te peto, simul fructus condicere velim: exceptio mihi obstat. Prius enim de proprietate constare oportet, quam huiusmodi iudicijs experiri.

23.

Actio tamen personalis, si de ea constat, & hypothecaria recte cumulantur.

24.

Permittitur etiam haec actionum cumulatio, si res eadem ex diversis causis alia atque alia debeatur actione: quarum una, solutione & perceptione facta, non tollit ius alterius actionis.

25.

Veluti, si fundum Tusculanum à Titio petam propria actione ex empto, item hereditaria actione, quod Sempronius, cui heres extiti, similiter eundem fundum à Titio emit: vel si ex stipulatu à Titio Stichum petam, quia cum mihi dari stipulatus sum, item actione ex Testamento, quia heres extiti ei, cui ex Testamento idem Stichus debebatur.

26.

Si vero huius generis actiones se inuicem excludent, non cumulantur in eodem libello: quales sunt duæ actiones ex Testamento de eadem re ex duobus testamentis legata: Item, condicatio certi ex mutuo & actio de constituta pecunia: mutuo scilicet in constitutum conuerso.

27. Cato-

27.
Cæterum, si actiones quidem & res sint diuersæ, at causa petendi eadem, ita vt absolutoria in prima actio-
ne productura sit exceptionem rei iudicatæ in altera,
cumulatio non admittitur. Vtpote, si actione furti ad
duplum vel quadruplum aduersus te consistere velim,
& simul in eodem libello conditionem furtiuam
proponere, non audior.

28.
**Actionem tamen iniuriarum ad Palinodiam (quæ
criminalis non est) cum actione iniuriarum ad æstima-
tionem cumulari posse, receptum est.**

29.
**Porrò, si actiones diueriae sunt, sed eadem res & ea-
dem causa petendi, ita vt electione vnius actionis alte-
ra tollatur, sine dubio non admittitur cumulatio.**

30.
**Nam rei legatae nomine competit legatario actio
personalis ex Testamento, actio hypothecaria & vin-
dicatio: at his omnibus simul vti legatarius non po-
test, sed harum vna duntaxat contentus esse debet.
Vnde hæ actiones cumulari nequeunt: nisi de perso-
nali actione constet: tunc enim huius cum hypothe-
caria actione cumulationem admittendam esse, vt in
thesi 23. affirmauimus, etiam nunc censemus.**

31.
**Creditores quoque, qui contrahunt cum filiofam:
vel seruo in merce peculiari, sciente patre vel domino,
duas actiones aduersus patrem vel dominum habent:
actionem de peculio scilicet, & actionem tributoriam.
Verum cligere debent, qua actione experiri velint:**

B non

non etiam utraque uti possunt. Vnde haec actiones non
recte copulantur.

32.

Postremò actiones quae secum pugnant: veluti que
rela in officiis Testamenti, & actio, qua Testamentum
dicitur non iure perfectum: Item, petitio hereditatis,
& interdictum quod legatorum: male continguntur:
nisi actor probabiliter dubitet de genere actionis: quo
casu huiusmodi actiones cum protestatione cumula-
tionem patiuntur.

33.

Hinc etiam cum rei vindicatione actio Publiciana
codem in libello simul edi & proponi potest.

34.

Postremò si ex eadem causa actio civilis & crimin-
alis nata sit, cumulatio earum eidem non permittitur:
nisi una principaliter instituta altera inci-
denter mouatur.

F I N I S.

Tubingæ,



Anno 1586.

1734577

OCN68511510